

9. 14.) modò *Regnum Dei*; sive *Cælorum*, (*Ibid.* 13.) modò *Corpus Christi*, (*Coloss.* 1. v. 24.) modò tandem *ovile Christi*, quia ipse fideles verbo doctrinæ et Sacramentis pascit; atqui nemo sibi finxerit *civitatem*, vel *Regnum*, sine iudicibus qui dissidia componant; *ovile* sine Pastoribus qui gregem regant; *corpus* pluribus constans membris, secum invicem conjunctis, sine capite cujus moderamine tota moles contineatur et cohæreat.

2°. Ecclesiam ita fuisse à Christo Domino institutam, ut à nonnullis Pastoribus regeretur, dubitare non potest, quisquis hæc Apostoli verba legerit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (*Act.* 20. v. 28.) Hinc Sanctus Cyprianus Ecclesiam ita describit, ut debitam Pastoribus adhæSIONEM semper exprimat: *Illi, inquit, sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhærens.* (*Epist.* 69. ad Papiantum.)

Inst. Quælibet Ecclesia particularis sine proprio Episcopo esse potest; neque enim, illo moriente, ipsa extinguitur. Contigit etiam aliquandò, ut Ecclesia universalis Papâ careat, vel nonnisi dubium per plures annos habeat; ergo ad naturam Ecclesiæ non pertinet, ut sub Pastorum regimine constituta sit.

Resp. Dist. ant. Sed tunc postulat Ecclesia particularis ex Christi institutione, ut quamprimum fieri potest, à proprio regatur Episcopo, et Ecclesia universalis ut Petri successorem, tanquam caput, habeat; conc. ant. secus, neg. ant.

Licet enim fieri possit, ut Monarchia aliquandùm Rege careat, vel excitato bello civili, nonnisi dubium habeat, eam tamen esse ipsius naturam, ut Rege indigeat, nemo negaverit. Quam autem ob causam? Quia scilicet id exigit Monarchiæ constitutio, ut mortuo Rege, alter in ipsius locum sufficiatur; et quamvis, sæviente bello civili, incertum maneat, quis sit Rex legitimus, Reipublicæ tamen Regem

præficiendum esse minimè dubium est; idem de Ecclesia ferendum est iudicium, cum eo tamen discrimine, quòd Monarchiæ constitutio mutari possit, et in alium statum converti, qui Regem non postulet; Ecclesia autem non possit illam exuere et amittere naturam, quam à Christo accepit.

CAPUT II.

De Membris Ecclesiæ.

IBI quæritur quænam sint Ecclesiæ membra. Hanc rerò quæstionem ut certo expendamus ordine, eam sex in articulos distribuemus. Primus erit de Prædestinatis et Reprobis; secundus, de Justis et Peccatoribus; tertius, de Hæreticis et Apostatis; quartus, de Schismaticis; quintus, de Excommunicatis; sextus, de Catechumenis.

ARTICULUS PRIMUS.

De prædestinatis et reprobis.

Constat 1°. prædestinatos, qui nondum sunt in Ecclesia, in ea aliquandò extituros esse, cum extrâ Ecclesiam salus non possit obtineri, quam certò tamen consequuntur omnes prædestinati. Constat 2°. omnes reprobos in Ecclesia non esse; inter eos enim plurimi sunt infideles, Hæretici, et Schismatici manifesti, quos ad Ecclesiam nullo modo pertinere demonstrabimus.

Controvertitur itaque, 1°. utrùm prædestinati, eo ipso nomine ad Ecclesiam pertineant, quamvis nondum fortè crediderint, vel in Hæresi, aut in Schismate manifestè adhuc permaneant. 2°. An re-

probi qui veram fidem profitentur, Sacramento-
rumque sunt participes et legitimis Pastoribus sub-
jecti, sint Ecclesiae membra. Lutherani et Calvi-
nistae, in ipso suae Haeresis exordio, Wicelitas et
Hussitas secuti, omnes et solos praedestinos, ex-
clusis reprobis, in Ecclesia esse docuere. Varia il-
los causae ad fingendam hanc opinionem impule-
runt.

Prima fuit ut Ecclesiae iudicio et auctoritati sese
subducerent. Si enim soli praedestinati et iusti sint
in Ecclesia, ii etiam soli legitimi erunt in Ecclesia
praepositi et iudices; tales quippe esse non possunt,
qui nequidem sunt in Ecclesia: atqui cognosci non
potest, quis sit praedestinus et iustus; nec igitur
innotescere potest, quis legitimus sit in Ec-
clesia praepositus et iudex; porro nemo tenetur
illis se subicere, quos legitimos praepositos et ju-
dices esse constare non potest. Quo ratiocinio
omnis Ecclesiae auctoritas, omne iudicium eluditur.

Secunda illius opinionis haec causa fuit, ut se
extra Ecclesiam esse non convincerentur; ex hoc
enim principio, quod soli praedestinati et iusti sint
in Ecclesia, sic inferabant; atqui prorsus incertum
est, utrum aliquis sit praedestinus, an reprobus,
iustus an iniustus; ergo demonstrari non potest
nos ab Ecclesia excludi.

Tertia novi illius dogmatis haec ratio fuit, ut
cum aliqua veri specie dicerent suam Ecclesiam
Apostolicam esse, sive ab Apostolis ad eos usque
propagatam; cum enim manifestum esset ipsorum
Ecclesiam non eam esse, quae ab Apostolis suc-
cessionem visibili, ad nostra usque tempora fuit trans-
missa, ad Ecclesiam quamdam invisibilem ipsis
confugiendum fuit; talis est autem praedestinato-
rum et iustorum societas, quam ab Apostolis suc-
cessionem inconspicua ad se usque pervenisse affir-
mant.

P R O P O S I T I O .

Nec omnes, nec soli praedestinati sunt Ecclesiae membra.

Probatur prima pars. 1°. Cum Paulus Ecclesiam
furens persequeretur, non fuit illius membrum;
atqui tamen erat praedestinus. 2°. *Secundum praes-*
cientiam, inquit Sanctus Augustinus, *et praedes-*
tinationem quam multae oves foris, id est, extra
Ecclesiam: (*Tract. 45. in Joan. n. 12.*) atqui
ovium nomine praedestinos hic intelligit, ut res
per se patet. 3°. Si quis eo quod sit praes-
destinus, ad Ecclesiam pertineret, sequeretur
praedestinationem per se solam efficere, ut aliquis
sit Ecclesiae membrum; atqui res non ita est: quod
enim prorsus absconditum est et invisibile, non
potest per se solum aliquam societatis visibilis mem-
brum constituere; atqui praedestinatio prorsus la-
tet: Ecclesia vero est societas visibilis et cons-
picua, utpote, juxta Scripturam, similis civitati
supra montem positae. 4°. Nemo potest esse mem-
brum Ecclesiae, nisi vel ad ipsius animam vel ad
corpus pertineat: atqui nonnulli praedestinati ne-
que ad Ecclesiae animam, neque ad ipsius corpus
actu pertinent: cum nondum fidem, spem, et
caritatem habeant, nec legitimis subiciantur Pas-
toribus, nec Sacramentorum sint participes,
quamvis postea, et ante mortem, iis bonis do-
nandi sint; omnes ergo praedestinati non sunt
Ecclesiae membra.

Prob. secunda pars; nempe non solos praesdes-
tinatos, sed etiam reprobos, aliquando esse Eccle-
siae membra: illud manifestum est ex Parabolis
quibus in Scripturis adumbratur Ecclesia. 1°. *per-*
mundabit aream suam, inquit Christus, *et con-*
gregabit triticum suum in horreum, paleas autem
comburet igni inextinguibili. (*Math. 3. 12.*) Ex

omnium consensu, hæc area Ecclesiam designat, triticum prædestinatos, et paleæ, reprobos; ergo, sicut paleæ sunt in area, ita reprobi sunt in Ecclesiâ. 2°. Convivium cuius meminit Evangelium apud Matthæum, (*Cap. 12.*) veram adumbrat Dei Ecclesiam; atqui in illo convivio non prædestinati tantum reperiuntur, sed et reprobi, in tenebras exteriores cum eo homine projiciendi, qui vestem nuptialem non induerat. 3°. Decem virgines de quibus loquitur Christus, (*ibidem cap. 25.*) Ecclesiam designant; atqui inter illas virgines, nonnullæ erant reprobæ, fatuæ nimirum, quas sponsus à nuptiis his verbis excludit; *Amen dico vobis, nescio vos.* Hinc Sanctus Gregorius sic ratiocinatur; *In Ecclesia quia reprobi cum electis admitti sunt, rectè similis virginibus prudentibus et fatuis perhibetur.* (*Lib. 1. Homil. 12. in Evang. n. 1.*)

Prob. 2°. utraque pars rationibus Theologicis; Ex opinione quam refellimus sequeretur, 1°. Ethnicos, Judæos, Turcas, uno verbo dicam, quoslibet impios, modò prædestinati sint, ad Ecclesiam actu pertinere; contra verò omnes Fideles baptisatos, et vitæ etiam sanctioris homines, esse Ecclesiæ extraneos, si prædestinati non sint, quàmvis sic pronuntiet Apostolus: *Quicumque in Christo baptisati estis, Christum induistis.* (*Galat. 3. 27.*) 2°. Nihil de fide, nihil de Scriptura sacra, nihil de Sacramentis certum habebimus, cum ab Ecclesia sola certò possimus ea omnia accipere. Ubinam autem veram Ecclesiam reperias, si in prædestinatis tota lateat; atqui hæc omnia absurdissima sunt; meritò igitur à Concilio Constantiensi, (*Sess. 15.*) damnatus est iste Joannis Hus articulus tertius: *Reprobis, etsi aliquandò sit in gratiâ, secundùm præsentem justitiâ; tamen nunquam pars est sanctæ Ecclesiæ; ergo, etc.*

Solvuntur objecta.

Objic. 1°. Christus Ecclesiam suam appellat ovile, sive congregationem ovium. (*Joan. 10.*) atqui ovium nomine soli prædestinati intelliguntur, ut constat ex istis Christi verbis; *Cum venerit Filius hominis in majestate suâ, tunc... congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et staret oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.* (*Math. 25. 31.*) Ergo, etc.

Resp. Neg. min. Sæpè quidem ovium nomine, soli prædestinati in Scripturis intelliguntur, ut in objecto Matthæi loco; sed non semper: hoc enim nomine promiscuè donantur, tum electi, tum reprobi; cuius rei videre est exemplum in istis verbis: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* (*Psal. 73. v. 1.*) Christus ipse ovium nomine, omnes indiscriminatim in se credentes designat, dum sic jubet Petro: *Pasce oves meas.* (*Joan. 21. 17.*) Si enim non nisi prædestinatorum curam Petro committeret, rem impossibilem præciperet; electi quippè, soli Deo noti, à Petro curari pascique non potuissent.

Obj. 2°. Sic testatur Apostolus; *Christi domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* (*Ep. ad Hebr. 3. 6.*) Itaque, juxtà Apostolum, ii soli sunt domus, sive Ecclesia Christi, qui ad finem usque, in fide et spe permanent; atqui soli prædestinati sunt hujusmodi; ergo soli sunt Ecclesia Christi.

Resp. Dist. maj. Ii soli sunt domus Dei modo perfectissimo, qui ad finem usque, etc. conc. maj. exclusâ qualibet aliâ ratione, quâ possimus ad domum Dei pertinere, neg. maj.

Itaque cum in Ecclesiam cooptatio per se ad gloriam æternam ordinetur et spectet, peculiari sensu et omnium perfectissimo, Ecclesiæ membra dicuntur, qui fidem, spem, et caritatem ad finem

usque retinent. Dum verò inquirimus de variis hominum speciebus, utrùm ad Ecclesiam pertineant, necne, rariorem hunc in Scripturis sensum non attendimus; sed communem, et in Ecclesia receptissimum, juxta quem baptisatis externa sufficiant vincula, ad constituendum Ecclesiæ membrum.

Obj. 3^o. De reprobis dicit Apostolus: *Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* (1. Joan. 2. 19.) Ergo reprobi ad Ecclesiam non pertinent.

Resp. Dist. cons. Non pertinent ad Ecclesiam per prædestinationem ad gloriam, conc. consequ. per Sacramentorum communionem ejusdem fidei professionem, neg. consequ.

Nedum enim Apostolus neget reprobos, de quibus loquitur, fuisse in Ecclesia, illud contrà supponit. Nam ex aliquâ societate exire non potest, qui in illa nullo modo erat; atqui juxta sanctum Joannem reprobi illi *prodierunt ex nobis*, id est, ex societate nostra, ac proinde Ecclesia: ergo in ea priùs versabantur; nisi igitur velis Apostolorum secum pugnare, hoc unum affirmat, nempe eos de quibus agit, è numero prædestinatorum non esse; ad quem si pertinuisent, nunquam ab Ecclesia defecissent. *Prodierunt*, inquit, *ex nobis*, id est, è societate nostra; *sed non erant ex nobis*, scilicet electis; *nam si fuissent ex nobis electis, mansissent utique nobiscum* in eadem societate.

Obj. 4^o. Ex Augustino, (*Lib. 5. de Baptismo.*) Arca Noë fuit Ecclesiæ figura: atqui in Arca Noë non fuerunt, nisi qui ex aquis diluvii servandi erant; ergo pariter in Ecclesia non sunt, nisi qui salutem sunt consecuturi, id est, prædestinati.

Resp. Dist. maj. Arca Noë fuit Ecclesiæ figura quoad aliqua, conc. maj.; quoad omnia, neg. maj.

Si enim in omnibus urgenda esset ista comparatio, sequeretur omnes baptisatos esse prædestina-

tos et salutem consecuturos: nam sanctus Petrus, (*Epist. 1. cap. 3.*) Baptismum cum Arca Noë contulit; cum autem omnia animalia in eam recepta, tum munda, tum immunda, à diluvio servata fuerint, colligendum esset omnes baptisatos, licet malos, immundos, peccatores, ad salutem perventuros esse; illud verò consecrarium ne ipsi quidem adversarii admittunt; ergo quosdam intra limites coercenda est hæc comparatio. Jam verò quibus in capitibus valeat, tutius discere non possumus, quam ex Patribus: atqui sancti Patres Ecclesiam in præsentī statu spectatam, cum Arca Noë eo sensu non compararunt, quod, sicut in Arca non fuerunt nisi qui ex aquis servandi erant, ita in Ecclesia non sint, nisi qui salutem consecuturi sunt, id est, prædestinati: sed in eo stat eorum comparatio; 1^o. quòd, sicut in Arca cujuscumque generis includebantur animalia, munda et immunda; ita Ecclesia Christi bonos et malos, electos et reprobos, contineat; 2^o. quòd, sicut à diluvio tutus esse nemo potuit, extra Arcam positus; sic extra Ecclesiam nullus à damnatione immunis esse possit; et in hoc potissimum sita est hæc comparatio, juxta Cyprianum, libro de unitate Ecclesiæ, Hieronymum, in Epist. ad Damasum, et Augustinum in loco objecto. In his duobus præsertim posita est adducta à Patribus Ecclesiæ cum Arca Noë similitudo; nunquam vero eam adhibent, ad significandum non alios esse in Ecclesia, quam qui ad salutem perventuri sunt, id est, prædestinati.

Obj. 5^o. Ecclesia dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium*: (*Cantic. 4. v. 12 et 15.*) atqui Ecclesia sic adumbrata non convenit, nisi prædestinatis; ergo, etc.

Resp. 1^o. Transeat maj. Nam, ut ait Bellarminus, (*Lib. 3. de Eccles. cap. 7.*) ea quæ in Canticis de Sponsa dicuntur, de Ecclesia non sunt necessario et ex omni parte intelligenda. Quidam enim objecta verba de Ecclesia; quidam de beatâ

Virgine, quidem de animâ qualibet perfectâ interpretantur; quod ultimum videtur Bellarmino probabilius.

Resp. 2^o. Neg. min. Nam in horto etiam concluso vepres cum floribus simul admisti reperiuntur, et spinæ cum rosis, sæpiusque nascuntur herbæ inutiles, vel noxiæ, quæ evelluntur et ejiciuntur; ita in Ecclesia Fideles quidam existunt pravi et improbi, qui tandem aliquandò foras ejecti, in ignem mittentur; Ecclesia ergo dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium*, ratione præcipuorum ejus membrorum, propter quæ præsertim fundata est, licet in ea multi sint reprobi: ita, inquam, appellatur à nobiliori parte, eo ferè modo quo gens aliqua dicitur belliosa, licet in ea multi sint ignavi.

Inst. Sanctus Augustinus sic docet: *Numerus ergo ille Justorum. . . de quibus dictum est; novis Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus, etc. (Lib. 5. de Bapt. cap. 27. n. 38.)* ergo, juxta Sanctum Doctorem, Ecclesia non nisi ex prædestinatis constat.

Resp. Neg. conseq. Ex eo quòd enim arbitretur sanctus Augustinus, in aliquo Scripturæ textu eam tantum Ecclesiæ partem describi, quæ in solis justis et prædestinatis consistit, non sequitur hanc ipsi mentem fuisse, ut tota Ecclesia in solis prædestinatis contineatur; quasi verò non alia sint Scripturæ testimonia, ex quibus manifestum est in Ecclesia militante, bonos et malos, electos et reprobos esse permistos, et quæ ita interpretatur Augustinus? talis est Parabola in qua Ecclesia adumbratur per aream, quæ triticum et paleas complectitur. Quam similitudinem sic adhibet sanctus doctor adversus Donatistas; *Si boni sumus, in Ecclesia Christi frumenta sumus; si mali sumus, in Ecclesiâ Christi palea sumus, tamen ab area non recedimus. (Serm. 4. in Psal. 36. n. 19.)* ergo etiamsi Augustinus objecta Canticorum verba

de solis prædestinatis intellexerit, non inde sequitur eum censuisse Ecclesiam totam in solis prædestinatis consistere.

ARTICULUS II.

De Justis et Peccatoribus.

Pelagiani, teste Augustino. (*Lib. de Hæres. cap. 88.*) Ecclesiam ex iis solis componebant, qui nullum omnino peccatum admiserant; alioquin Ecclesia, inquebant, dici non posset sine rugâ et maculâ; Novatiani et Donatistæ, non nisi peccatores graviorum criminum reos; Lutherus autem et Calvinus peccatores quoscumque ab Ecclesia excluserunt.

Peccatores quosdam, eos scilicet qui Hæretici, aut Schismatici manifesti sunt, ad Ecclesiam non pertinere, ex dicendis apertum erit. Agitur itaque de peccatoribus baptisatis, Hæresi aut Schismati non addictis, neque ab Ecclesia per excommunicationem præcisus; de quibus sit

PROPOSITIO.

Peccatores, etiam gravissimi, membra sunt Ecclesiæ quoad corpus spectata.

Probatur variis rationibus; 1^o. ex Parabolis Evangelicis areæ, agri, convivii, etc. jam adductis, constat hanc esse Ecclesiæ militantis conditionem, ut simul permistos habeat bonos et malos. 2^o. Jubeat Christus ad Ecclesiæ Tribunal magnos defferri peccatores, et ab ejus sinu removeri, ac tanquam Ethnicos haberi, si fuerint contumaces; (*Matth. 18. 17.*) atqui nemo ex aliqua societate per sententiam juridicam ejicitur, nisi prius fuerit illius membrum. 3^o. Sacramentum Pœnitentiæ Sanctorum non est, sed peccatorum,

et à Christo institutum fuit, ut quælibet peccata, post Baptismum commissa elueret. Sic docet fides et probant Theologi, ubi de Pœnitentiâ agunt; atqui Sacramenta eorum tantùm sunt qui in Ecclesia versantur. 4°. Peccatores, etiam insigniores licet caritate destituti, corpori tamen Ecclesiæ adherent, tum ejusdem fidei professione, tum Sacramentorum communione, tum iisdem Pastoribus subiectione: atqui hæc omnia probant eos esse Ecclesiæ membra, saltem imperfecta; nam Ecclesiæ corpus humano corpori comparat Apostolus: atqui membrum in homine, licet mortuum, modò corpori conjunctum sit, membrum hominis esse non desinit, quamvis imperfectum; ergo, etc.

His argumentis accedit Patrum autoritas. Nam etsi videntur in Ecclesiâ esse zizania, inquit sanctus Cyprianus, non tamen impediri debet, aut fides, aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus; nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus. (Epist. 54. ad Maxim.) Ex perfectis universa non constat Ecclesia, juxta S. Chrysostomum, (in Psal. 39.) sed habet eos etiam, qui mollem et dissolutam vitam amplectuntur. Sicut in Arca erant omnium animalium genera, inquit Hieronymus, pardus et hædi, lupus et agni; ita et in Ecclesia sunt justi et peccatores: (Dialogo contra Luciferianos.) Intra Arcam (Ecclesiam) inquit, sanctus Augustinus, boni et mali esse possunt. (Lib. contra Perilianum, cap. 16.) atqui hæc Patrum testimonia manifestè asserunt, in Ecclesia bonos et malos, justos et peccatores, permisceri, ergo, etc.

Scholium.

Dici etiam potest peccatores internis quibusdam nexibus, fide, v. g. interiori quæ in ipsis remanet, esse Ecclesiæ conjunctos. Ita docent centum Galliæ Præsules: Il est de foi que l'Eglise est une

société visible, où les élus et les réprouvés, les justes et les pécheurs, les bons et les méchants, les parfaits et les imparfaits sont mêlés ensemble, et unis par la profession publique de la même foi, par la participation extérieure des mêmes Sacremens, et par la dépendance des Pasteurs légitimes, dont le Pape est le chef visible; que le péché mortel ne sépare point les méchants de l'Eglise; que tant qu'ils conservent l'habitude de la foi, ils sont unis intérieurement à l'Eglise par cette même foi; qu'en qualité de fideles, ils ont Jesus-Christ pour chef, quoique d'une manière imparfaite, et qu'ils peuvent, à l'exemple de l'enfant prodigue, appeler Dieu leur pere... Pourvu que l'on reconnoisse ces dogmes constans, on peut s'exprimer comme S. Augustin, quelques autres peres et des Théologiens, lesquels, en enseignant que les méchants sont véritablement de l'Eglise, et en font partie, ne donnent cependant quelquefois la qualité de vrais membres de l'Eglise, qu'à ses membres vivans et animés par la charité. (Corps de doctrine de 1720. art. 11. de l'Eglise, pag. 15. 16. édit. in-4°.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Ecclesiam sic compellat Autor sacer; Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. (Cant. Cant. cap. 4. 7.) Atqui, si alios, quam justos, includat Ecclesia, immeritò prorsus immaculata appellatur; ergo, etc.

Resp. 1°. Textum illum variis intelligi modis. scilicet 1°. de anima fidei, quæ gratiâ sanctificante, Spiritusque Sancti donis ornatur; 2°. de beata Virgine Mariâ, quæ juxta communem Ecclesiæ fidem, ne quidem venialiter peccavit; 3°. de Ecclesia triumphante, quo sensu accipit voluit Augustinus multa similia quæ de Ecclesia dixerat, ut sic ipse testatur; Ubi cumque Ecclesiam commemoravi, non habentem maculam, neque rugam; non sic accipiendum est, quasi jam sit; sed

quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa: nunc enim propter quasdam enim ignorantias et infirmitates membrorum, habet undè quotidie dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.* (*Lib. 2. retract. cap. 18.*) 4°. de Ecclesia militante, non quasi in omnibus et singulis membris immaculata sit; sed, vel propter doctrinæ integritatem, morumque sanctitatem quam præcipit: vel propter nobiliorem sui partem, quæ in justis sita est; res autem à nobiliori parte denominantur.

Resp. 2°. Neg. min. Ecclesia non esset quidem maculæ expers, si peccatores ad illam pertinerent, quatenus sunt peccatores; sed maculis non inficitur, si peccatores ad eam non pertineant, nisi propter aliquid in se sanctum; atqui res ita est. eos enim Ecclesiæ membra dicimus, propter fidei Catholicæ professionem, et legitimis Pastoribus subjectionem; atqui in his duobus nihil est quod laudabile et sanctum non sit; ergo, etiamsi peccatores ad Ecclesiam pertineant, nihilominus erit sine macula.

Inst. Ex nobis, nullum est Ecclesiæ membrum, quod in hac vita omni prorsus peccato careat; atqui hoc dici non potest sine macula esse; ac proinde Ecclesia immeritò dicitur immaculata, etiam in præstantioribus suis membris.

Resp. Dist. min. Hoc dici non potest esse sine macula absolute, conc. min. pro statu hujus vitæ, neg. min.

Certè nemo in hac vita degit, qui sine peccato sit; *Septies cadet justus.* (*Proverb. cap. 24. 16.*) *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* (*1. Joan. cap. 1. 8.*) *In multis offendimus omnes.* (*Jacob. 3. 2.*) Atqui tamen non dubitat Scriptura immaculatos in terris agnoscere: *Noè vir justus fuit atque perfectus.* (*Genes. 6. 9.*) *Ero immaculatus cum eo. Beati immaculati in via.* (*Psal. 17. 118.*) *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,*

tionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus (*Ephes. 1. 4.*) Quamvis igitur justis in hac vita non omni peccato careant, nihilominus, teste Scripturâ, aliquo sensu dici possunt maculæ propriè dictæ expertes, ac proinde Ecclesia in præstantioribus suis membris immaculata nuncupari potest.

Obj. 2°. Augustinus asserit, malos non magis esse in Ecclesia, quàm Hæreticos: *In membris illius Columbae, nec hi (Hæretici), nec illi (mali) sunt hodiè; sed aliqui eorum fortasse futuri sunt.* (*Lib. 5. de Baptismo, cap. 3 et 4.*) Parem esse hæc de re malorum et Hæreticorum conditionem contra Donatistas non semel affirmat.

Unde sic argumentari licet: Parem facit Augustinus improborum et Hæreticorum conditionem: atqui Hæretici manifesti non sunt in Ecclesia etiam quoad corpus spectata, ut postea probabimus; ergo nec mali et peccatores.

Resp. Dist. maj. Parem facit conditionem, quoad potestatem validè baptisandi, et in principiis Donatistarum, conc. maj. parem facit absolute, neg. maj.

Itaque ut genuinus habeatur sancti Doctoris sensus, res altiùs est repetenda: Donatistæ ex una parte Baptismum ab Hæreticis collatum rejiciebant, eamque ob causam, quòd Hæretici Spiritum Sanctum et Sanctitatem non habeant, et Spiritus Sanctus ab eo dari non possit, qui illum non habet; ex altera verò parte, admittebant Baptismum ab improbis collatum. Præterea Ecclesiam, utpotè sine macula, ex solis justis constare existimabant.

Hinc ansam arripit Augustinus Donatistas argumento, ut aiunt scholæ, *ad hominem*. debellandi, ostenditque eorum doctrinam falsam esse, utpote sibi minimè constantem: etenim, inquebat, improbi non magis Spiritum Sanctum habent, non magis pertinent ad vestram Ecclesiam immacula-

tam et sine ruga, quam Hæretici; necesse est igitur ut horum, et istorum Sacramenta nullasint, vel utrorumque valida; porro valere improborum Sacramenta conceditis; ergo etiam rata habenda sunt Hæreticorum Sacramenta.

Itaque, cum ait Augustinus, improbos non esse in Ecclesia, juxta Donatistarum mentem loquitur, qui non alia agnoscebant vera Ecclesiæ membra, quam justos, ut ex illa Ecclesiæ notione, adversus eos ineluctabile argumentum eruat; cum verò quæstionem ipsam, an peccatores et mali ad Ecclesiam pertineant, expendit, eam ex solis justis non constare disertis verbis docet, ut ex variis illius scriptis compertum est, *Nos fatemur, inquit, in Ecclesia Catholica, et bonos, et malos esse.* (Tract. 6. in Joan. n. 12.)

Obj. 3°. Augustinus, (lib. 5. contra Donatistas, cap. 27.) Cyprianum refellit, qui dixerat improbos esse *intus*, id est, in Ecclesia, ideoque validum esse Baptismum ab iis datum; non autem ab Hæreticis collatum, *qui foris sunt*; ergo existimat Augustinus improbos non esse *intus*, sive in Ecclesia.

Resp. Dist. ant. Id refellit Augustinus in Cypriano, tanquam doctrinam non bene sibi coherentem, conc. ant. tanquam doctrinam falsam, neg. ant.

Ex hac enim Cypriani assertionem, hoc unum colligebat Augustinus; scilicet, vel non magis debuisse Cyprianum Hæreticorum, quam improborum, Sacramenta rejicere, vel utrorumque rejicienda esse Sacramenta. Nam Baptismum Hæreticorum eam ob causam excludebat Cyprianus, quod non sint *intus*, sive in Ecclesia, utpotè Spiritum Sanctum non habentes, quem proinde aliis dare non poterant: atqui pariter, ait Augustinus, improbi hoc sensu non sunt *intus*, siquidem Spiritum Sanctum non habent; ergo nec ipsorum admitti debet Baptismus. Quo in argumento non ait

Augustinus improbos absolutè nulloque modo *intus* esse; sed tantum, juxta Cypriani doctrinam et mentem: eos enim solos *intus* esse docuerat, qui Spiritum Sanctum habent.

Malos autem *intus*, sive in Ecclesia esse non semel tradit Augustinus, ut liquet ex testimoniis jam prolatis, quibus istud accedit: *Distinguamus, inter eos qui mali foris sunt, id est, extrâ Ecclesiam, et eos qui intus, id est, intra Ecclesiam, mali sunt.* (Lib. 4. de Baptismo.)

Obj. 4°. Ecclesia sancta est: atqui talis non esset, si membris constaret pollutis; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Licet enim nonnulla Ecclesiæ membra matri suæ probro sint, ad eam tamen non minus pertinent, quam dissolutus filius qui, licet familiam suam pravis moribus dedecoret, et aspergat infamiâ, ejus tamen membrum est, quandiu ab eâ non separatur; et sicut parentum probitati minimè nocet unius membri pravitas, ita nec Ecclesiæ sanctitati quidquam detrahit peccatorum perversitas.

Obj. 5. Idem non potest esse membrum Ecclesiæ, ac proinde Christi, et membrum diaboli: atqui peccatores gravissimi sunt membra diaboli: ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Sub eodem respectu, conc. maj. sub diverso; neg. maj.

Peccatores sunt membra diaboli, quatenus vitiosem sordibus criminibusque inquinantur; et sub eo respectu profectò membra Ecclesiæ et Christi esse nequeunt: sed ejus membra verè meritoque dicuntur, licet arida et mortua, quatenus ipsius fidem profitentur, ejusque Sacramentorum sub legitimis Pastoribus sunt participes; uno verbo quatenus ad illius corpus pertinent. *Qui Sacramenta habent, inquit S. Augustinus, et bonos mores non habent, et Dei dicuntur, et non Dei; et ejus dicuntur, et alieni; ejus, propter ipsius sacramentum; alieni, propter proprium vitium.* (In Psal. 47. n. 8.)